

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0388

0386

0392

0382

0397

0377

0437

0337

0487

0287

0887

375

Infirmitas peregrinorum omnium.

Sexta die nocte praecedenti, cum tempus recessus nostri advenisset et ductores nostri parati essent, misit Deus manum in peregrinos et paene omnes tetigit et prostravit, subito enim facti fuimus valde infirmi, et decumbebant tentoria nostra plena infirmis et erat numerus debilium major, quam sanorum. Inter quos erat dominus Petrus Velsch adeo debilis, quod delirabat, et dominus Fernandus baro de Warno, qui omnium prius consolator fuerat, gravissime decubuit, et ego ipse diro capitis dolore et vertigine laborabam et intensissimo calore totius corporis incensus eram, non tamen decubui, sed quantum potui infirmis servivi. Dominus etiam Bernhardus de Braitenbach, nunc decanus Moguntinus, adeo debilis erat, quod speciem propriam amiserat et sensum, nec spes fuit de ejus convalescentia. Et ita hunc diem cum nocte cum multa molestia et miseria deduximus.

Peregrinorum dissensio et divisio.

Septima die, quae erat dominica XV. post Trinitatis, audivimus Missam a domino Johanne archidiacono, qui erat fortior; nam Pater Paulus Minor et ego ambo debiles eramus et invalidi ita, quod cum magno labore vix poteramus horas canonicas legere. Hujus calamitatis causas diversas suspicati sunt peregrini: aliqui attribuebant aquis, aliqui aliis cibis, caeteri novilunio, major tamen pars vehementer suspicabatur, quod Sabatithanco Trutschelmannus noster cibum aliquem intoxicasset, ut nobis peremptis bona relicta occupasset, ego tamen tenui et hodie teneo, quod fuerit permissio divina ad humiliandam curiositatem nostra. In his ergo peregrinorum miseris inceperunt diversa praticare et paene omnes a proposita sua peregrinatione resilire. Nam aliqui volebant reascendere in Jerusalem et ibi mederi vel mori. Aliqui volebant per Palaestinam ascendere in Syriam Phoenicis ad Barutum, maris portum, et ibi in proximis mercatorum galeis reverti in Europam ad partes nostras; aliqui omnibus ambagibus dimissis volebant descendere per maris oram in Alexandriam et ibi

Ende

Anfang